

ctisque Dei per Prophetas præsentis temporis ratio tenenda est; nonnunquam illis futura, nempe Jesus Christus, exprimebantur. Neque Scriptura omnia semper exponit, sive quæ historiam aliquam ab ea narratam præcesserunt, sive quæ deinde consequuta sunt. Quando verò nihil aliud Deum ad eam rem impulisset, quàm quod nos hucusque adduximus, satis id profectò haberetur, cur maximum Omnipotentia suæ prodigium in liberatione Prophetæ exereret.

Hæc nos quidem Christianis, Scripturarum authoritati deferentibus, nihilque nisi de ratione patrati miraculi ambigentibus. Quicumque verò eodem spiritu, quo Porphyrius, Julianus Apostata, & increduli quicumque, divinas historias deridiculo agentes earum veritatem cavillis impetunt, his planè apud Poetas, Historicos, & Theologos Paganorum multò hæc portentosiora tradi oggerimus (m). Supra innuimus historiam Herculis in ventrem canis marini à Neptuno immisi insipientis. Nec prætereundas censemus Metamorphoses omnes Jovis in taurum, cygnum, ignem, aurum; dentium anguis à Cadmo disseminatorum in homines armatos exilientium. In rem veniunt fœtum Baccho semur, fœtum Minervæ cerebrum Jovis. An hæc omnia minorem fidem, quàm Jonæ factum, exigunt? Quid porrò non portentosum legas apud Authores Theogoniæ sive genituræ Deorum, de Saturno, Jove, Baccho, Vulcano, Neptuno, Hercule, Mercurio, ac de singulorum metamorphosis? Hæc planè & alia sexcenta naturæ vires superantia pars sunt Religionis Paganorum.

Sed quæ, rogo, comparatio inter sanctitatem & gravitatem Religionis, sicut etiam puritatem in Divinis Scripturis ubique regnantem; ac putida, salacia, animalia, puerilia, repugnantia, criminosa, abominanda, quibus Libri Paganorum inferiuntur? Hæc tamen, quæcumque demum fuerint, populis traduntur credenda, tanquam ab Authoribus Paganis scripta; quamquam nullam etiam apud Paganos scripta illa sive sui, sive Authorum merito fidem obtinent; licet non nisi ad crimen & licentiam animos disponant. Porrò tota credulitatis Libris illis præstantæ ratio petitur ex Dei potentia, cui nihil impossibile. Cur igitur quidquid sacratissimum est in nostra Religione, Deo auctore constitutum, ludibrio habeatur, & mendacio? Et quum turpibus credant, potentiaque Dei universa defendant, eandem virtutem non tribuunt & honestis, ait S. Hieron. in Jon. 1.

m Hieron. in hunc locum.

Si quæ in Sacris Scripturis traduntur, apud Homerum, Hesiodum, Ovidium, Apollonium Thyæum, aliumque Paganum Theologum Gentiles legissent, statim illi in argumentum Religionis suæ prodigium illud vertentes, magnificis verbis amplificarent. Authorum suorum testimonio subnixi, credunt quidquid in fabulis legitur de Arione Numinum favore pollente, quæ nempe in pelagum à nautis pecuniæ illius in hiantibus projectus, subcantis Delphini dorso exceptus, incolumis ad litus devectus est. Nunc verò cum Propheta Hebræus gravis inprimis Scriptor & coævus, quæ sibi maximè contigerant, posteritati mandet, ejus narratio univèrsa in dubium revocatur. Sed, ait, S. Augustinus Epistola 102. N. 32. Ita videant Scripturas nostras, dum per singulos dies rariore paucioresque se videant, vel moriendo, vel credendo.

Veterum nonnulli persuasum habuisse videntur, Jonam in ventre ceti obiisse (n). Pseudo-Athanasius in QQ. ad Antiochum ter obiisse Prophetam testatur. Primò Sareptæ in domo matris suæ, quam ipsissimam credit viduam, cujus filium, Jonam nempe, Elias ad vitam revocavit (o). 2. In ventre ceti, ubi, quantum ad homines, diem clausit. 3. Cùm in exitu vitæ cursum absolvit. S. Hilarius in Psal. 68. n. 6. ait: Imitator ille Dominicae mortis, & temporis Jonas, mari versus cetoque susceptus, non tam in mari se, quàm in inferno positum testatur. Tandem Author QQ. ad Orthodoxos q. 64. ita philosophatur: Si Jonas verò diem non clausit; quomodo mortis Jesu Christi figuram exhibet? Si autem verà morte appetit, quomodo in ventre ceti prodigio servatus dicitur?

Sed hæc sibi oppositis solidè idem Author respondit, dicens, in Scripturis non obitum quidem Jesu cum Propheta obitu comparari; neque hunc alterius esse figuram in obitu, sed non dissimili illo temporis spatio, quo ille in ventre ceti, hic in sepulchro detentus est. Si verò Jonas reipsa mortuus in ventre ceti, deinde ad vitam revocatus fuisset; quid inter imaginem & exemplar, inter Dominum & famulum, inter Jesum & Jonam discriminis intercessisset? Opus fuit, Prophetam in sinu piscis sepulturæ Jesu Christi præluisse; sed ille vivus è tumulo, ubi mortuus jacuerat, propria virtute resurgere debuit; cùm alter è ventre ceti non nisi Domino viam aperiente egrederetur, Domino, inquam, qui jam inde ab ætate cuncta juxta præstitutum ab aeterno consilium suum, & nostræ fidei magis magisque fulciendæ, disponebat?

n Author QQ. ad Antioch. inter Opera Athanas. qu. 6. o Reg. 17.

a Joseph. lib. 1. contra App. p. 104.

b Apud Euf. Præp. l. 1. cap. ult. pag. 40.

c Præp. l. 1. cap. ult. pag. 39.

DISSERTATIO DE NUMINIBUS PHOENICUM SIVE CHANANÆORUM.

EX quo semel de veteribus Paganorum Numinibus tractandum suscipitur, plena ambagibus, fabellis, ænigmatibus via decurrenda est; nihil enim in eorum Theologia, nisi densis obstitum tenebris, affectatis mysteriorum & verborum ambagibus obscurum, ut sacramenta illorum plenè revelari vix ac ne vix quidem possint. Hæc veterum indolet ut fabellis omnia inferant, ait Strabo l. 10. Non Historia, non Religio, non Philosophia ab ea labe immanis. Quod malum in cunctis regnans, apud Orientales maximè obtinebat, gentem, si quæ alia, fabularum, allegiarum, similitudinum fœcundam. Ex quo sanè operosissima efficitur veritatis à fabellis, cùm de Religione sive de eorum Numinibus agendum est, discretio.

Erant quidem olim Phœnicibus, quorum nos Theologiam exponendam aggredimur (a), sincera historiarum monumenta, unde plurima nostro argumento servientia derivari potuissent. Sed omnia nostrâ ætate interciderunt, his exceptis rarissimis fragmentis, quæ apud Josephum servantur. Thaautus, quem Ægyptii Thoth appellant, insignis sapientia laudem apud Phœnices obtinens, in se olim suscepit, referente Porphyrio, curam, pedestrem gentis suæ Theologiam, quam ad id usque tenebant rudes vulgaresque homines, apud quos ejus depositum manserat, in lucem solemque transferendi (b). Post evolutas deinde plures generationes, Deus Sarmabels unà cum Thuro, cognomento Chusarth, muliere, velamina allegiarum, quibus mysteria occultaverat Thaaut, detrahenda susceperunt. Hæc Porphyrius, cui gemina paulò ante ex Sanchoniathone Eusebius retulerat (c); ait enim Thaaut, Numina variis induta figuris, quibus variè ipsorum dotes representarentur, exhibuisse; nempe, uno verbo, Religionem Phœnicum pedestrem olim & simplicem mysteriorum caligine occultatam, augustiorem, utpote simplicium aspectu minus perviam, reddidisse.

Septem fratres Cabryi filii Sydec, adhibito etiam fratre suo Esculapio, scriptis mandarunt jussu Thaauti totam hanc veterem Theologiam, quam deinde Filius Tabionis vetustissimus inter omnes Reli-

gionis Phœnicum Interpretes, simplicem meramque, inferentis allegoriis & fabellis ex rerum natura petitis corruptit, deformatamque manibus Prophetarum sacra Bacchi agentium ejusque ceremoniis præfidentium commisit. Illi pro eo, quo tenebantur, desiderio Religionis majestatem etiam atque etiam prorogandi, alias super alias fabellas cumularunt, totamque deinde fabulam ad posteros transmiserunt. Ita comparata Religio ad Græcos transiit, qui nova veteribus miscentes, densas aded tenebras Theologiæ universæ offuderunt, ut tetrum quoddam chaos inuentibus videatur.

Sanchoniathon Berithinus (d), ante belli Trojani tempora rerum Phœnicarum absolutam historiam meditans, singularum Urbium Tabulas undique excussit; consulisque pariter sacris Commentariis in Templis asservatis, omnia collegit, quæ ad propositum servirent. Major tamen illi cura dirigendi quæ Thaautus scriptis mandaverat; persuasus viro illi clarissimo primum inventarum literarum redactarumque scriptis historiarum honorem tribuendum. Nec modicè ad intentum conferre censuit studium historiæ Judaicæ, quam è monumentis Jerombalis Sacerdotis Dei Jovo repetiit (e). Opus istud Sanchoniathonis Græcæ fidei redditum per Philonem Biblium à Porphyrio laudatur, ex quo ingentia quædam fragmenta in sum Opus de Præparatione Evangelica Eusebius transtulit (f). Totum Phœnicæ Theologiæ systema apud Porphyrium in hoc potissimum versatur.

Tetricus quidam, niger, agitatuseque aer flame quodam intimo commotus, unà cum chaos, obscuro, & confuso, rerum omnium principium statuendum est. Cum enim flamen illud amore principiorum suorum incalcesceret, illis ardè devinctum, amplexu illo suo coituque omnia produxit. Omnium primus genitus est motus seu limus; ex quo bruta quæcumque animalia; demum ratione utentia, quæ Zopha-semin sive Cæli contemplatores appellari placuit. Tertii ab his prodierunt Sol, Luna, & Astra. Animalia ratione prædita subito veluti tonitru quoddam excitata sese erigentia, gressus explicare super terram & mare exorsa sunt. Primò ab illis coli cœpta herbæ & plantæ

d Id. Ibid. c. 9. pag. 30. &c.

e Ibid. pauld superius.

f Idem Præp. l. 1. c. ult.

ta qua precibus qua sacrificiis, neque enim dignius aliquid divinis honoribus angustis illis mentibus occurrebat.

Ventus nomine *Colpias* cum uxore *Bau* sive *Nox*, genuerunt *faculum* & *Primogenitum*, mortales ambos; a quibus deinde effusi *Progenies* & *Generatio* priores Phoenicia incolae. In magna aquarum penuria manus suas ad Solem levaverunt, rati illum Caeli moderatorem, appellaruntque proinde *Beelsamen* i. e. Dominum Caeli, eundem plane ac Jovem Graecorum.

*Saculo* & *Primogenito* liberi dati sunt *Lux*, *Ignis*, & *Flamma* homines plane mortales; & illis vicissim frequentes numero Gigantes, quorum nomina montibus, quos tenuerunt, indita sunt, ut *Libano*, *Antilibano*, *Caslo*, & *Brathio*. Ex Gigantibus parentibus nati sunt *Mezumius*, & *Hypsuranius*, de propositis quibusdam foemina eodem patre geniti. *Hypsuranius* Tyri sedem habuit, qui cum fratre *Ufone* non semel commissus est. Porro *Ufo* geminis erectis columnis, quarum alteram Igni, alteram Vento consecravit, litatisque sacrificiis e sanguine animalium venatione apprehensorum coluit, insignis est. Omnibus his post fata divini honores a posteris concessi, consecratis eorum memoriae virgibus, columnis, & solemnibus.

Ex genere *Hypsuranii* post plura saecula effusi sunt *Venator* & *Piscator*, quibus venationis, & piscationis inventio accepto referenda. Ex his gemini filii inventores ferri ejusque, in varios usus impendendi auctores; horum primus *Chrysos*, idem, nempe ac *Vulcanus* dictus etiam *Diamichius*. Ex *Vulcano* duo item, *Artifex* & *Terrenus*, de terra productus sive *Indigena*, incertum tamen qua matre. Ex his pariter gemini alii, *Ager* & *Agricola*, cui postremo sacratae imagines, & adiculae gestatoriae ab animalibus devecatae; alterum utriusque nomen erat *Palantes* & *Titanes*. Par alterum ex his postremis parentibus *Ulor* & *Magus*, agrestium domorum & gregis utendi inventores. Tandem *Uloris* & *Magi* filii nati sunt *Misor* & *Sydic* i. e. facile resolvens, & *Iustus*, salis adhibendi auctores.

Ex *Misor* natus *Thaautus*, quem *Aegyptii* *Thoth*, *Alexandrini* *Thoyt*, *Graeci* *Mercurium* appellant. Ex *Sydyc* geniti *Cabyri* sive *Coribantes* seu *Dioscuri* i. e. *Castor* & *Pollux*. Quo simul tempore nati *Elion*, nempe Altissimus & uxor illius *Beruth*; ex his vero *Calus* & *Terra*, de quorum nomine, ea erant puerorum elegantia, appellata sunt *Caelum*, quod oculis intuemur, & *Terra* quam incolimus. Cum paterni Regni hereditatem *Calus* adivisset, *Terram* sororem suam duxit, quo conjugio quatuor nati liberi, *Ilus* vel *Saturnus*, *Betylus*, *Dagon* sive *Deus* frumenti, & *Atlas*. Hos de *Terra* conjuge, alios vero genuit ex aliis uxoribus liberos; quam injuriam cum *Terra* ferre non posset, post oneratum injuriarum plaustris virum, a conjugio discessit.

Adolescens in virum *Saturnus*, injuriam matri suae illatam ulturus, bellum *Caelo*

patri indixit, adhibito in societatem armorum *Mercurio Trismegisto*, quo a secretis utebatur. *Saturnum* Parentem agnoverunt *Proserpina* & *Minerva*, quarum prior adhuc puella immaturo fato praerepta est. In bello cum patre *Saturnus* jure armorum captam unam ex ejus concubinis *Caelo* jam factam, *Dagoni* fratri suo nuptui traditi. Quare statim a conjugio ex ea parente genitus est *Demaroon*. Cum vero *Saturnus* suspiciosum sibi *Atlantem* fratrem suum haberet, captum alie in terram defodit. Comites habuit *Saturnus* sive *Ilus* viros nomine *Eloim*, ac si quis diceret *Ilenses* vel *Saturnianos*. Porro *Deus* ille arma & furorem in familiam suam vertit, sua manu jugulato filio *Sadid*, & capite filiae itidem suae praeciso.

Interim *Caelus* solum vertere coactus, cum *Saturni* vultum non sustineret, submissis tribus puellis filiabus suis, *Astarte*, *Rhea*, & *Dione* parricidium molitus est. Verum *Saturnus* adeo sibi sorores suas devinxit, ut singulas conjugio sibi copularet. Nova injuria offensus *Caelus* vi agredi filium statuens, foederatos sibi *Fatum* & *Pulchritudinem* in illum immisit. Praeio victor *Saturnus* utrumque retinuit. Ex *Astarte* septem filias *Titanidas* sive *Dianas* appellatas, & *Cupidinam Amoremque* filios habuit: de *Rhea* septem liberi nati sunt, quorum postremus ab ipso factum ortu inter Deos relatus; nec *Dione* conjugium sterile habuit.

*Sidyce* sive *Iustus* una ex *Titanidis* duca *Esculapium* genuit. Alii etiam fuerunt *Saturno* liberi, scilicet *Saturnus*, *Jupiter*, *Belus*, *Apollo*, & aliquandiu post *Pontus*, *Typho*, & *Nereus*. Ex *Ponto* natus *Sidon*; ex *Demaroono* *Melicartus* i. e. *Hercules*. Insidis *Saturni* filii sui *Caelus* captus virilibus amputatus est. Eodem tempore, quo *Saturnus* paternum Regnum tenebat, regnasse etiam constat *Reginam Astartem*, *Jovem*, *Demaroonem* & *Regem Deorum Adol.* *Astarte* juxta Phoenices eadem est ac *Venus*, eademque pariter *Taurinum* caput & cornutam frontem veluti Regium insigne gestabat. Haec *Sanchoniathe* de origine mundi & Phoenicum Theologia.

Si hujus Auctoris fides exploratissima esset, parum aliquid addendum restaret; sed ejus auctoritas Eruditibus nostrae aetatis suspiciosa eo nomine efficitur, quod fraude *Porphyrii* Christiani nominis adversarii suppositum nomen Eruditorum plerique suspicantur; qui nempe *Porphyrius* hanc fraudem inivisse creditur, ut auctoritatem Sacrorum Librorum Judaeorum minueret, simul & Religioni Jesu Christi plurimum officeret, semel demonstrato Abrahamum cum *Saturno* confundendum, Patriarcharum pariter & creati mundi historiam ex Phoenicibus derivari. In eo Systemate facile *Chaos Bobu* de quo *Genesis* 1. 2. Spiritus aquis innatans (g), animalia tum bruta cum ratione utentia, tonitru quodam veluti de lethargo excitata (h), nempe verbo Creatoris omnia valentis, deprehenduntur.

*Ventus Colpias* idem facile est ac omnia pra-

g *Genes. ibidem.*  
h *C. I. Sanchon. apud Euf. l. 1. Praep. cap. ult.*

praestans illud *Fiat. Colpiab* Hebraice est verbum oris sui. *Primogenitus* est *Adam* de limo terraeeductus, atque insufflantis Dei Spiritu animatus (i). *Caelus Belsamin* est Dominus totius universi auctor, quem primus homo vix formatus adoravit. Gigantum ne nomen quidem in Sacra Scriptura desideratur. Post diluvium maxime celebrantur. *Memrum* est *Nemrod*; & ejus frater *Hypsuranius*, sunt in opere Babelicae turris coadjutores, mutuo se excitantes illis verbis *Gen. 11. 4. Faciamus nobis turrim, cujus culmen pertingat ad Caelum*; hoc enim sonare videtur Graecum nomen *Hypsuranium*, supra Caelum elevatum.

Venator & Piscator facile sunt conditores *Sidonis*, quo nomine Phoenicum lingua designatur piscatio & venatio. *Agricola* ipse est *Noe* (k), a quo prima colendorum agrorum ratio coepit. *Ulor*, *Magus* ipsi sunt *Ammon* & *Moab*; *Amynos* enim Graece est *Ulor*; & *Moab* Hebraice sonare potest *Magus*. Porro ambo illi populi gregibus alendis se totos addixerunt (l).

*Misor* eodem penè literarum sono exprimit *Mezor*, patrem *Mizraim* sive *Aegyptiorum*. *Sidyceus* apud Phoenices est *Justitia*, *Apollo* auctore (m). *Cinyras* Rex *Affryae* filios habuit *Oxyporum*, & *Adonidem*, tres item puellas *Oxsedicem*, *Laogorem*, *Brythiam*, quibus nominibus vestigium exhibetur nominis *Sedice*, & *Berith* sive *Beruth*, uxoris *Elion*. Porro *Elion* Deus est altissimus in Scriptura non ignotus, *Berith* sonat foedus, ac de *Baal-Berith* sermo est *Judic. 9. 4. Ilus* ipse est *Abraham*, qui nempe patrem habuit *Elion*. Ex his plane satis intelligitur, de vera populi Dei historia omnia, quae *Sanchoniatonis* nomine supponuntur, derivari, nec nisi occultandae veritatis gratia *Porphyrium* ista procudisse, quod ad Phoenices & Paganos omnia a *Judaeis* & *Christianis* Patriarchis tributa, referret. Quam vero splendido mendacio *Dagonis* historiam confinxerit in *Dissert. de Numinibus Philistæorum* demonstravimus. *Zedich* sive *Zedech* de *Melchisede*cho transformatum est.

Quae nobis obtrudit de *Caelo* *Terraque*, *Deorum* aquae, & hominum parentibus, ex Auctoribus Prophanis, fabulosis Historiis, & Theogonia derivatum est: *Principes Dei Calus* & *Terra* (a). *Abrahami* circumcisio ipsiusque paratum de filio sacrificium latet sub fabella dissecti in virilibus *Ilis* vel *Saturni*, & sublato ab ipso infami sane parricidio *Jed* filio suo unico ex *Anobreth* *Nymphae* genito.

*Pseudo-Sanchoniaton* tradit *Saturno* inditum a Phoenicibus nomen *Israel*; sed ille duos viros *Abrahamum* & *Jacob* confundit. Temerè vero addit, inditum nomen *Eloim*, viris foedere conjunctis cum *El* sive *Ilo* vel *Israel*; quod scilicet nominis conjunctione animorum etiam demonstraretur; *Hebraei* enim eo nomine verum *Deum* designant. Nec rarè de Angelis pariter, & Principibus, sive Magistratibus usurpant. *Bethyles*, *Saturni*, uti ferunt,

inventum, historiam *Jacobi*, qui in Mesopotamiam proficiscens lapidem consecravit in *Bethel*, fabularum velaminibus involvunt. Totà igitur *Porphyrii* dolo proculsa Theologia rejecta, *Numina* Phoenicum apud Scripturam & minime suspectos Auctores investigemus.

Primum quod de hisce Numinibus in Scriptura animadvertendum occurrit, illud est, nimirum *Numina* Phoenicum eadem fuisse ac vetera *Chananæorum*, & *Amorrhæorum*, quas gentes Dominus coram populo suo disperferat. Cultu etiam simili colebantur, qualem nempe Scriptura gravissimis verbis veteribus *Chananæis* incolis exprobrat [o]. *Et abominabilis factus est* (*Achab*) *in tantum*, ut sequeretur *Idola*, qua fecerunt *Amorrhæi*, quos consumpsit Dominus a facie filiorum *Israel*. *Et fecit* [\*] (*Manasse*) *malum coram Domino juxta abominationem gentium*, quas subvertit Dominus coram filiis *Israel*. Praecipua illorum *Numina* *Baal*, *Astaroth*, *Militia Caeli*, *Constellationes* sive *Mazeloth*, *Adonis* sive *Thammuz*; nulla enim praeter haec in Scriptura, quamvis in historia addatur *Jupiter*, *Apollo*, & potissimum *Hercules*.

## DEUS BAAL.

**B**AAL nomen est omnibus Paganorum. Numinibus commune, apud eas gentes scilicet, apud quas lingua Hebraica, Chaldaea, Syriaca, sive Phoenicia, varia illa quidem, sed ex una omnes origine derivatae obtinent. Nota sunt nomina *Baal-zephon*, *Baalberith*, *Baalgad*, *BaalDeus*, *Moabitarum* (p), *Belus* *Deus* *Chaldaeorum*, *Beel-peggor*, *Beelzebub*, & sic de singulis. Verum in *Israele* *Baal* excellentia quadam appellabatur *Princeps* & potissimum totius Regionis *Idolum*. Nullo alio nomine innotescunt *Idola*, sive quod sub *Judicibus* (q), sive quod sub *Regibus* superstitionis cultu venerati sunt. Huic vero distinguendo haec potissimum conferunt. 1. Quod olim a *Chananæis* Numen illud coleretur. 2. Quod humanis victimis ei litaretur. 3. Quod ejus ara sive in tectis domorum sive in editis locis erigerentur.

Frustrà argumenta congereremus, demonstraturi *Baal* vetus fuisse *Chananæorum* Numen, qua de re dubitationes omnes aperta Scripturae testimonia summovent. *Jeremias* collatus cum quarto *Regum* alisque Scripturae locis satis disertè ostendit, illi Numini humanis victimis litatum fuisse: *Et edificaverunt excelsa Baal*, qua sunt in valle filii *Ennon*, ut initiarent filios suos & filias suas *Moloch* (r). Et cap. 19. 5. *Edificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim*. Et 4. Reg. 17. 16. *Adoraverunt filii Israel universam militiam Caeli, servieruntque Baal*, & consecraverunt filios suos & filias suas per ignem. Quibus vero ejus, sicut & *Astaroth* cultores implicarentur licentia criminibus, sexcentis Scripturae locis intelligimus. Huc spectat illud 3. Reg. 14. 24. *Effaminati fuerunt in terra* (s).  
Tan-

o 3. Reg. 21. 26.

\* 2. Part. 33. 2.

p Num. 21. 41.

q *Judic. 6. 25. & c. & 2. 11. & 3. 7. & 8. 33. & 3. Reg. 16. 31. & 18. 21. 22. & 12. 54. & passim.*

r *Jerem. 32. 54.*

s *Vide etiam 3. Reg. 15. 12. & 22. 47. & 4. Reg. 23. 7. & Osee 4. 14.*

i *Gen. 2. 7.*

k *Gen. 9. 10. Capiteque Noe vir agricola exercere terram.*

l 4. Reg. 3. 4.

m *Bibliot. l. 3. c. 13.*

n *Varro de lingua Latin. Vide Eumum apud Lactan. de falsa Relig. lib. 1. c. 13.*